

verò aliter miserè mortem obiisse historijs proditum sit. Quamobrem elicere volunt, terrena dominia diuinæ omninò contrariare voluntati. In aduersum verò tripartita emergit philosophica ratio, quibus mundi principatum ostenditur ab ipso summo Deo eiusq; diuina defluere voluntate. Omnis namq; principatus à Deo est, tum ratione entis, tum motus, atq; finis: quod hoc ordine elucescit. Omne quippe ens ex ente primo dependet, à quo originatur: & omne creatum in increato fundatur. Cum autem ens creatum profluat ab increato, necesse est etiam eius virtutem & potentiam, scilicet dominatum, ab illo procedere, dominiumq; creatum in increato fundari. Omne prætereà ens per participationem reducitur ad ens per se. Præsidentes autem dominio plus vigent in natura entis, quàm personæ priuatæ: cum gerant vicem quasi totius entis cui præsunt. Vndè Augustinus ait, illos diuinos mereri honores & duplicatos. Et ad Thimotheum Apostolus: *Qui benè præsunt, inquit, duplici honore digni habentur.* Quò ergo magis participant de natura entis, tantò quoq; magis ad suum appropinquant principium, plusq; de diuina participant influenza. Cuius rei exemplo est Saul ille regum Israël primus, quem mox vt per Samuelem assumtus esset in regem, insiliit Spiritus Domini, & prophetauit, vt i. Regum cap. 10. legitur. Et Salomon ordinatus in regem diuinam meruit sapientiam. Claret illud quoq; & in quibusdam moderniori æuo principibus, quòd ex ampliori participatione entis singularem quandam virtutem in ægrotos habere dicuntur, vt de regibus Franciæ fertur, & Angliæ. Sequitur & alia ratione, dominium esse à Deo, in comparatione ad motum. Omne namq; quod mouetur, ab alio mouetur, & in mouentibus & motis (vt inquit Philosophus viii. Physicorum) non est infinitum abire, sed est venire ad aliquod mouens, quod non mouetur; quod est ipse Deus. Cum verò domini in gubernando sint motores orbis, oportet sui regiminis motū in Deum optimum maximumq;, veluti in principalem reducere motorem. In 3. de Trinit. enim Augustinus ordinem motoris de-

B